



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornæ, 1753**

De exequiis palvulorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36023**



Si sepulchrum longius distet ab Ecclesia, posset huic Responsorio psalmus de profundis, vel alius quispiam præponi, ita ut sub hoc Responsorio sepulchrum claudatur.

Cum perventum fuerit ad sepulchrum, deponitur tumba, quæ ut primum est in sepulchro, aspergatur aqua benedicta, & tertio per pastorem mittatur super eam aliquid terræ. Quo facto, statim cooperiatur sepulchrum. Quo cooperito canat chorus, Media vita, Quo finito Sacerdos.

✠. Peccavimus Domine cum Patribus nostris.

✠. Injuste egimus, iniquitatem fecimus.

*Oramus.*

**A**djuva nos Deus salutaris noster, adjuva nos in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis, & intercedente pro nobis Beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, cum sanctis Apostolis Petro & Paulo, atq; B. Andrea cum omnibus sanctis adjuva nos, misertus nostri, & miserere: quia miseri facti sumus in peccatis nostris: & ne permittas nos, sicut meremur, hic pessima morte finiri: sed dic angelo percutienti, sufficit, jam cesset manus tua, ut locum poenitentiae mereamur habere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde postulet adhuc unum pater & ave pro defuncto à circumstantibus, & pro defunctis, sepultis in cœmeterio, & unum Pater pro eo, qui primus ex præsentibus moriturus est, ut in gratia discedat. His finitis, sub silentio cum cantoribus redit ad Ecclesiam, & sic sepultura finiatur.

### De Exequiis Parvulorum.

**C**um puer baptizatus defunctus fuerit antè usum rationis, induitur juxta ætatem, & imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis, & odoriferis, in signum integritatis carnis, & virginitatis, & parochus superpelliceo, & stola alba indutus, & alii de clero, si adsint, præcedente Cruce, quæ sine hasta deferretur, accedunt ad domum defuncti. Sacerdos aspergit corpus aquâ benedictâ, deinde dicit ps. 112.

**L**audate pueri Dominum: Laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? & humilia respicit in cœlo & in terra.

Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Gloria

Gloria Patri & Filio : & Spiritui sancto.

Sicut erat in Principio & nunc & semper : & in sæcula sæculorum. Amen.

- ✠. Me autem propter innocentiam suscepisti.  
 R. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.  
 ✠. Sit nomen Domini benedictum.  
 R. Ex hoc nunc & usque in sæculum.  
 ✠. Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

**O**Mnipotens & mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte baptismatis, dum migrant à sæculo, sine ullis eorum meritis, vitam illico largiris æternam, sicut animæ hujus parvuli hodie credimus te fecisse: fac nos quæsumus Domine per intercessionem B. Mariæ semper Virginis, & omnium sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiso cum Beatis parvulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde aspergit corpus, & circumstantes; portatores suscipiunt funus, & ordinata processione defertur ad tumulum sub cantu non lugubri, sed festivo. Tumbam in sepulcro depositam Sacerdos aspergit aqua benedicta, & cooperitur sepulchrum, quo cooperto, canitur.



Be ne di ci te Do minum om nes e lecti ejus,



a gi te di es læ ti ti æ, & confite mini il li.

Sac. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis suis.

✠. Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

**D**Eus qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq; dispensas: concede propitius, ut à quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde sine exhortatione, petantur preces pro defunctis ex cognatione pueri, & pro aliis defunctis, postremò pro eo qui primò ex astantibus moriturus est, ut in gratia discedat, & sic sepultura finiatur.

Notandum tamen, ut pueri post prandium sepeliantur.

### De Benedictionibus.

**N**E Sacerdotes in benedictionibus usurpandis errent, easq; quæ Episcopis conveniunt, frivole arripiant, placuit solas eas hic ponere, quæ ex usu Ecclesiæ Sacerdotibus conceduntur.

Stando semper & aperto capite Sacerdos benedicat, utaturq; extra missam semper stola pro varietate temporis, & superpelliceo.